


Memoria Subrupensis,

seu descriptio rerum memorabilium levati monasterii S. Iohannis sub Rupe Ord. S. Benedicti etc. collecta a Coelestino Hostlovský, eiusdem monasterii et ordinis alumno, nunc clerico ecclesiastico et loci curato.

Anno 1790.

(In ordinem redacta et publicata a P. Dominico Kozler, mon. Břev. professo.)

Intentio operis.

riste est mori: sed tristius, si et morientis moriatur memoria. Primum iam reapse subiit monasterium S. Ioannis sub Rupe a. 1785, alterum ne prorsus eveniat, praesentem assumpsi laborem. Nam cum nihil omnino monimentorum existat, post lustra facile sex vix quisquam sciret exstitisse hic loci monasterium, multo minus cuius fuerit status aut ordinis. Nec dubitet lector de rerum conscriptarum authenticitate; vixi in monasterio hoc ab annis 30 memorabilium semper studiosus; multa a senioribus meis 60 et ultra annis hic iam existentibus didici; multa hinc inde collegi manuscripta et asservavi, o! si et archivum exsuxisse licuisset; multa ipse, quae inter levationem monasterii, expertus sum; insuper et librum defunctorum nec non et album professorum loci fratrum prae manibus habeo. Quis igitur dubitet de fidelitate scriptoris? praecipue cum et ea, quae minus laudabilia sunt annotare non intermiserim? Confidat igitur lector de veritate hic scriptorum usque eo saltem: donec magis authentica vel ipse produxerit, vel ego faventibus superis aut quisquis alius hunc primum laborem meum elucubraverit amplius.

Idea operis.

- Cap. I. De monasterio Insulano, matre monasterii S. Ioannis sub Rupe.
- Cap. II. De vita et eremo S. Ivani, qui monasterio Subrupensi occasionem dedit.
- Cap. III. De monast. Subrupensi, eius ortu et progressu.

Cap. IV. De eius reviviscentia sub propriis abbatibus et fratribus in loco professis.

Cap. V. De morte seu levatione huius monasterii.

Cap. VI. De parcho et parochia manente in loco post levationem monasterii.

Cap. VII. De ulteriori statu monasterii levati usque in praesens.

Ad S. Ioannem Sub Rupe monasterium fuerat O. S. B. idque ab a. 1020, (iuxta alios circa 1048) usque ad a. 1785, annum quippe levationis sub augustissimo imperatore Iosepho II. et Summo Pontifice Pio VI., quo anno praeter alia complura aliorum ordinum monasteria in regno Boëmiae ex ordine benedictino etiam levatum est monast. Cladrubiense, S. Nicolai Vetero-Pragae atque S. Procopii cis Sázavam.¹⁾ Monasterium istud Subrupense etiam Skalense dictum, cum olim filiale fuerit alterius monasterii et ex occasione S. Ivani Eremitae patroni regni Boëmiae ortum suum habuerit, cuius S. confessoris s. lipsana hic loci pie coluntur, eapropter de prius atque S. Ivano. Tutelari aliquid pertractandum venit.

Caput I. De monasterio Insulano.

Monasterium Subrupeum fuit filiale monasterii vetustissimi et celeberrimi ad S. Ioannem in Insula aliter dicti Ostroviensis. Insula haec usque hodie apparentibus quibusdam diruti monasterii ruderibus existit in flumine Moldavae prope oppidum Davle, ubi fluvius Sázava in Moldavam influit; e regione autem insulae hodiedum prostat ecclesia parochialis sub titulo B. V. Mariae et S. Chilian Ep. et Martyris, nec non et pa-

¹⁾ Cladrubiense 7. Decemb., S. Nicolai 12. Novemb., S. Procopii 4. Novemb. 1785; monasterium Policense et residentia Bezděz-ensis 14. Febr. 1786; monast. monialium S. Georgii in castro Pragensi 20. Martii 1782.

rochia, quae semper a Subrupensibus administrata fuit, utpote quibus fundus insularius cum oppido Davle et omnibus appertinentiis spectabat, consequenter et ius patronatus et parochiae provisio. ¹⁾

¹⁾ Liceat hicce initia monasterii Ostroviensis, seriem donationum usque ad initium sec. XIII., porro fata insulae et ecclesiae S. Chilianii intexere. Dux Bohemiae Boleslaus (II.) filius saevi Boleslai in exitu vitae suae locum quondam servis Dei per quosdam nobiles invenit, et eum in honore S. Ioannis Bapt. et aliorum sanctorum confirmari praecepit, praeficiens ei Lambertum O. S. B. monachum ab Altaënsi (Altaba inferior) monasterio evocatum, quem filio suo tertio Boleslao commendavit et abbatem esse praecepit. Boleslaus (III. 999—1003) patre mortuo (7. sec. alios 9. Febr. 999) praedictum abbatem episcopo Deodato commendatum ordinari praecepit. Contulit dux Boleslaus villas: Wodochoty (Vodochody), Zaiecy (Zaječí), Blasin (Blažim) cum circuitu silvae; de familia villas: Sazawa (Sázava), Sedlce (Sedlec), Myechinicy (Měchnice); piscatores Drazowichich (Dražovice ubi?) Trebani (Třeboň), Lahowicyh (Lahovice). — Erben Regesta Boh. I. p. 36. — Hanc donationem mox auxerunt duces:

Udalricus (1012—1037) orationis causa ad coenobium Ostroviense haec donaria tradidit: Swoysicyh (Svojšice), Nahorubych (Nahoruby), Poryesichych (Pořešice). Reg. I. 42.

Bracizlaus (Břetislaus I.) monasterio Ostrov donat illud castrum Gradek (Hrádek, Bienenburk), ubi in vicinia aurifossore aureum ylouant seu decutiunt, cum omnibus pertinentiis eius, molendinis etc., circiter quatuor mansos terrae incultae ex utraque ripa Zazoe (Sazavae) et ipso flumine usque ad infusionem ad flumen Wltauam cum piscatoribus et louchis (venatoribus). Datum in mon. Ostrow ipsa die S. Severi Ep. et Conf. ao 1045 (22. Octob.) Reg. I. 45. Ostrovienses serius castrum hoc tenuisse aliunde non confirmatur. Cf. Wocel in: Památky archeolog: I. 138; Zap ibidem I. 201 et IV. 109 nota 7. Quoad flumen Sazavam cf. literas Soběslai (II.) ducis ex ao. 1178 in Reg. I. 162, Hammerschmidt Gloria Wissehradensis pag. 145.

Brecyslaus (Břetislaus I. 1037—1055) haec dona Deo et S. Ioanni Bapt. in Ostrov tradidit: „Cusowicyh (Čisovice, Košovice) debitores mellis: capellam quoque in spelunca S. Ioannis Bapt. Insuper et custodes ipsius ecclesiae Chrustimichih (Chrusti(ě)nice) et Nuncycyh (Nu(n)čice) villam cum hospitibus Sedlce (Sedlec). Item etiam capellam in Veliz cum omnibus

In monast. Insulano primos habitasse quinque fratres illos benedictinos: Benedictum, Ioannem, Mathaeum, Isaacum et Christinum (et Barnabam), qui cum S. Adal-

appendiciis suis dedit. Piscatores Drazowycyh (ut supra) custodes eiusdem ecclesiae Ostrocynyewsy (Ostročiněves), Cynnye (Černín) terram ad quatuor aratra. Circuitum quoque silvae, quod dicitur Záton, et capellam b. Ioannis Bapt. cum omnibus ad eam pertinentibus. Domaslicyh (Domažlice, Tusta) civitate etiam ebdomadam decimam thelonei contulit cum capella b. Iacobi apostoli cum omnibus appendiciis suis.⁴ Reg. I. 50.

Spitigneus dux (1055—1061), filius Břetislai villam Trebenicyh (Třebenice) addit; Herculaz (Herčany, Jerčany) etiam quosdam homines, qui ter in anno scutellas et cetera utensilia solvant. Reg. I. 54.

Wratislaus dux (1061—1086) villam Chrynany (Křňany), aliam quoque villam Wsetycyh (Všetice), villam quoque Noue sedlo (Nové sedlo) donavit. Hic postposito nomine ducis rex appellatus, (—1092) multa ecclesiae praefatae (b. Ioannis in Ostrov) donaria dedit, casulas et pallia et alium ornatum in diversos usus; villam etiam Stasowye (Stašov), insuper et Zymas (Žiňany) terram plus quam ad decem aratra cum silva. — Quam donationem Iaromir frater Wratislai, tunc temporis Pragensis episcopus († 1089) banno ecclesiastico innodavit. Reg. I. 81.

Conradus dux Bohemiae (1092. a 20. Ian. — 6. Sept.) monasterio S. Ioannis Bapt. in Ostrov haec beneficia addidit: Krawsko (Krávsko) in provincia Znoymensi, ubi habetur t. (= terra) plus quam ad quadraginta aratra; insuper et silviam (silvam?) addidit, in Bohemia autem praedium Zahoregowicy (Zahořeovice) et villam Chrabercyh (Chraběčice). Reg. I. 84.

Brecislaus (Břetislav II. 1092—1100) iunior, filius regis Wratislai, dux Bohemiae, monasterio Ostroviensi dedit capellam S. Petri apostolorum principis cum t. ad quatuor aratra et partem fluminis Blancye (Blánice). Reg. I. 84.

Swathopluch (Svatopluk 1107—1109) dux Boyanowicyh (Bojanovice) villam contulit Deo et b. Ioanni Bapt. Ostrow perpetualliter possidendam. Reg. I. 87.

„Haec sunt beneficia primatum:

Mladota, quorum egregius primas, Colowrathih (Kolovraty) t. (= terram) dedit ad quatuor aratra cum pomerio et aliam t., quae dicitur Wrysowicyh (Vršovice) ad duo aratra. Nozislav (Nosislav), egregius miles, dedit t. ad quatuor aratra, in villa

berto Roma e monasterio S. Alexii ad Boëmiam transmigravere, plus quam coniectura est; nam et fundatorem monast. Insulanum habuit Boleslaum Pium a. 980,

Dobric (Dobříč) cum pomerio et cum silva. Swoysye (Svojše) etiam famosus comes dedit t. ad tria aratra in villa Crynucy Naturscye (Černuc na Turště), et t. ad duo aratra in villa Chomutowycyh (Chomutovice). Zbraslaw quoque magnae memoriae vir, beato Ioanni Bapt. in Ostrow contulit capellam S. Adalberti cum terra ad quinque aratra in villa Thuclecyech (Thukleky), quae etiam dicitur Hawrany (Havraň). Chotymyr, bonae indolis vir, filius Hilconis, dedit t. ad aratrum in villa Bratryenow (Bratřinov). Insuper et Criss (Kříž) cum fratre Priestano de stirpe praedicti Chotyemyri t. ad tria aratra in villa Sedlec dedit. Paulus etiam magni nominis homo attavus Climatae de Wsenor t. ad unum aratrum in villa Borenowycyh (Bořenovice) cum silva dedit. Dluhomilus filius Cryssye (Kříž) magnae nobilitatis vir Mezun totam villam dedit cum tribus silvis. Ibidem etiam Detricus (Theodoricus) de genere Wrsowic t. ad unum aratrum contulit. Prawota deo et S. Ioanni Bapt. dono obtulit, quod a ducibus pro servitio meruit, sc. super flumen Szazawa, naulum cum mensuris annonae (i. e. census frumento solvendus), quod ei et filiis eius prius solvebatur; insuper et villam Horuticyh (Hořetice, Choru(a)tice). Bohacyegye (Bohačedi) quaedam matrona nobilis, Stephani uxor et mater Bohunye, Mascowicyh (Maškovice) emit de terra ad tria aratra, quam Deo et S. Ioanni Bapt. obtulit.

Quidam miles nobilis Wchyna praedium, quod est in provincia Churym (Kouřim), Postupicych contulit cum silva; insuper t. ad aratrum cum curia et hoc in confinio Pragensis suburbii, et locum insulae cum humulo, quod est in medio fluminis Wlitawe (Moldau). Cas etiam miles Networycych (Netvořice) ad duo aratra de terra contulit. Bolecey (Boletěch) quoque miles capellam b. Adalberti Hrusicych (Hrušice) cum t. ad tria aratra et silvam, aliamque t. ad duo aratra Vscicyh (Uštice) obtulit. —

Dux Wladislaus iunior (1140. 17. Febr., rex 1158. † 1174. 18. Ian.) nepos Wratislai dedit silvam adiacentem prope praedio S. Ioannis Bapt., quod vocatur Putim, ubi est ecclesia in honore b. Petri.

Quidam miles nomine Asinus filius Hoze dedit ecclesiam in loco qui Crusina (Krušina) nuncupatur; praedium quoque Pri-

circa quae tempora S. Adalbertus vixit et lectiones breviarum proprii Boëmiæ die 12. Novemb. perhibent: illos quinque fratres S. Adalberti religiosam vitam Pragae

stupimý (Přistoupín) obtulit et t. Pocatycyh (Počatice, Počátky) ad aratrum sufficiens et circa praefatam ecclesiam t. dedit ad aratrum. Quam oblationem Otto XII. episcopus Pragensis (electus ao. 1140. 23. Febr. † ao. 1148. 10. Iulii) banni vinculo sanxit. Dobrowyest etiam nobilis matrona t. Lubochowycyh (Libochovice) ad tria aratra apposuit.“

Přemyslaus rex Bohemorum (1198—1230) omnes praecedentes donationes in unum collectas, praeter illam Břetislai ducis de ao. 1045., memorabili diplomate confirmavit Pragae ao. 1205. 16. Cal. Februarii (17. Ianuar.), et auxit. Duos heredes cum circuitu silvae, quae bonis ecclesiae Ostroviensis adiacebat in villa Trebenycich, eidem addidit; capellam S. Iacobi apostoli in Domaslich (Tustae) per violentiam ablatam, custodes in villa Otrocyneves per violentiam occupatos et amissos ecclesiae S. Ioannis Bapt. in Veliz reddidit possidendos. Insuper Ostrovienses ab omni exactione vel solutione de iudiciis curiae proveniente exempt, partem suam donavit et concessit, ut citati in iudicio Pragensi respondeant. Reg. 222—224 et Piter in thesauro abscondito pag. 151—155.

In parte australi insulae, cuius superficies plus quam 9 iugera complectitur, stabant ecclesia S. Ioannis Bapt. (locum altaris maioris magna crux lignea ao. 1839. erecta indicat) cum monasterio, reliquum fors hortus erat. Fata huius aedificii ignorantur omnino usque ad despoliationem et restaurationem sec. XIII. et exustionem in bello hussitico factam. Abbates demolire muros tam diu non permisisse, quoad spes etiam minima manebat restaurandi monasterii, pro certo habendum. Inopia pressus ao. 1501., Stephanus abbas Petro molitori aedificare molam permisit in insula versus ecclesiam S. Chilian, imo fructus totius insulae ei commisit; haud dubium molitorem pepercisse reliquiis monasterii, cum molam exstrueret; sicque factum, ut ruinae annis sedecim abhinc elapsis irreparabiles viderentur. Egestate durante sedes abbatialis ad S. Ioannem sub Rupe translata est ao. 1517, mola vero cum insula commissa Petro Vosovský sub censum ao. 1530. Ab hoc ad Georgium Bobrovec de Bobrovic equitem transiit, ao. 1554. ad molitorem Douša dictum et ulterius ad Mathiam Turnovský Čelákovský. Ao. 1558. Wenceslaus Ůstský de Skalsko iniuste sibi vindicavit possessionem insulae cum mola. Omnes hi annue 45 gr. boh. census solvebant

in templo S. Ioannis in Insula duxisse; cum igitur de vera insula S. Ioannis intra Pragam sita vix aliquid certi constet, et primis Boëmiæ temporibus non modo

monasterio. Ao. 1571. contradictio circa usum insulae et molaë facta est a Ioanne Placido abbate tempore Maximiliani II. imperatoris et habita commissione, dum abbas se legitime defendere nescivisset, iniuste commissarii Wenceslao Ústský eam adiudicaverunt. Hic molam vendidit Ludovico Novohradský de Kolovrat et in Lištany ao. 1581., qui eodem anno cessit eam Samsoni Křinecký de Konov, hic quoque eodem anno Tobiae Nejedlý de Vysoká scribae, a quo in tabulas regni inscripta est sec. sententiam ao. 1571. factam; census 6 ~~fl~~ mis. annue solvebatur. Ao. 1596 apud cameram regiam Ioannes Chrys. Kladrubský abbas se insinuavit in causam de recuperanda insula, ast nihil evicit.

Haereditatem adiit Ioanna Záruba de Vysoká, filia nominatiam Nejedlý. Abbas Tobias Wenceslaus ao. 1628. nervose cum demonstratione iuridica supplicavit ad cameram pro recuperanda insula cum mola, ast operam uti antecessores perdidit. Dicta Ioanna insulam ao. 1634. cessit Samueli de Weissenblut, hic filio Ernesto Carolo eam legavit; qui cum eam per bella vastatam amplius tenere non posset vel nollet, transactione cum Matthaeo a Bilenberg abbate facta ao. 1657. 5. Decb. restituit eam monasterio pro 50 fl. Etiam nunc, sicut et successu temporis, parum immutatum est; mola perit cir. a. 1687., quo alia in sinistra ripa Vltavae prope ecclesiam S. Chiliani aedificata et insula ut prius molitori ceu ager et pratum elocata est. Cum ao. 1713. grassante peste coemeterium circa ecclesiam S. Chiliani non sufficeret, defuncti in insula sepeliebantur, quod etiam annis 1771—1773. factum est eadem causa urgente. Ao. tandem 1785. cum ceteris bonis, de quibus infra, insula adiuncta est ad dominium Slapy, quod Carolus Korb de Weidenheim emit ao. 1825 et stirps eius adhuc tenet. Cfr. Jonák: der landtäffliche Grundbesitz in Böhmen 1879.

Cum cir. ao. 1810. possessor insulae (Mahal civis Pragensis) fabricam chartariam construeret (nunc eo loco mola frumentaria) lapides e ruinis monasterii sumebat, sicque opus demolitionis perfecit. Ne vero memoria antiquissimi coenobii penitus oblitteraretur, inundatio ao. 1799. e ruinis eiecit margaritam insignem, crucem sc. byzantinam, quae in museo bohemico asservatur. Plura de hac cruce in (Wocel) Památky archeol. I. 137 et seq.

Ecclesia S. Chiliani vel ob commoditatem vicinorum incolarum, qui ad finem sec. XIII. evaserunt insuper subditi monasterii

ipsa urbs sed vicina etiam loca sub nomine Pragae venerint, atque praeter traditionem, quod monaster. Insulanum a temporibus S. Adalberti episc. Pragensis exi-

vel quia ecclesia S. Ioannis Bapt. copiam eorum capere non posset, mox auctis Ostroviensium proventibus in sinistra ripa Vltavae aedificata esse videtur. Erat parochialis in decanatu Ořechoviensi ao. 1350. (Balbini Miscellanea hist. Bohemiae.) Seriem plebanorum hicce ex libris confirmationum pono: Divissius, cui successit Simon 1357 $\frac{3}{4}$, hoc mortuo Marquardus 1358 $\frac{20}{12}$, post cuius obitum Cwalico (Chval) 1363 $\frac{20}{9}$, Odolenus instituitur 1373 $\frac{3}{1}$, Leonardus 1374 $\frac{20}{7}$, Nicolaus 1377 $\frac{14}{12}$, defuncto Chwalone Ioannes dictus Podravec 1393 $\frac{10}{2}$, Bohuslaus 1393 $\frac{20}{12}$, Ioannes 1396 $\frac{17}{9}$, omnes professi monasterii S. Ioannis in Insula. Porro commemorantur in literis (Eugenii Prudik prof. Subrupensis, curati ad S. Chilianum 1760—1768) Ioannes ao. 1411, Stephanus ao. 1412, Ioannes ao. 1456, Procopius Tilk 1572 prof. Cladrubiensis, Thomas Jemnický 1585—1588 (prof. Subrup.?), Iacobus Czigl 1600—1605, Ioannes Doctorius 1615—1618, Procopius Tilk iterum, aliquot annis post prior sub Rupe, Mathias Robertus Kergelius, prof. Braunensis 1650—1654, cooperatores Simon Malachovský, prof. Cladrubiensis, Ioannes Fulgentinus Bilek, prof. Braunensis 1655 mense Julio —1657, antea prior sub Rupe, Anselmus Stephanides prof. Cladrubiensis ad finem 1658—1661, Samuel Jarý, prof. Braunensis 1661, Fulgentinus Bilek et Ioannes Manner (prof. Cladrubiensis) alternabant usque ad finem ai. 1662, quo Iacobus Anselmus Stephanides administrator parochiae constitutus est, Cooperatorem habuit ao. 1669. Wenceslaum Horatium prof. Braunensem (Gregorium Aulicum 1672—1674?) et Bernardum Schmiedel de Seeberg ao. 1674. Franciscus Caesar prof. Braunensis successor Anselmi curam animarum gessit 1674—1680, inde Ivanus Schram —1696, erat prof. subrupensis sicut et omnes ceteri usque ad levationem monasterii. Ecclesia S. Chiliani, ut narrat Balbinus (Historia S. Montis Auct. I. 102) medio aevo XVII. a populo Pragensi celebrabatur. Exustam ao. 1692. 6. Aprilis Casparus Eimer abbas restauravit et ao. sequenti 11. Iunii benedixit. Modo exstat presbyterium tantum gothicum (e sec. XIII. vel XIV.), reliquae partes uti fenestrae, ianuae, turris in antica parte occidentali cum statua S. Chiliani moderno stylo renovatae sunt. Altera renovatio ecclesiae notatur ao. 1775. Teste Aemiliano Mühlwenzel, prof. subrupensi, abbate S. Nicolai, spoliata est ao. 1708., inter alia duo argentei calices ablati sunt. Aram maiorem statua B. V. Mariae ao. 1775 facta ornat, in

stat, nulla alia monumenta posteriorum temporum circa erectionem monast. Ostroviensis reperiantur, hinc vix dubio est locus, quod insula haec sacra consecrata fuerit per inhabitationem horum Sanctorum. ¹⁾

navi conspicitur magna votiva imago ao. 1742. a Subrupensibus huc tradita. In parte eius superiori pictus est Deus Pater, utrinqueseccus S. Ioannes Bapt. et S. Adalbertus, sub quibus quinque SS. Fratres in habitu benedictino, et insula cum ruinis monasterii ao. 1724 fors visibilibus. Dedicatio sonat: „Reverendissimo, peritissimo ac amplissimo D. D. Aemiliano Kotterowsky O. S. B. Monast. S. Ioan. in Insula et S(ub) R(upe) Abbati meritiss. inter applausus Gentiliacos vitam longaevam praecatur humilis conventus S. I. S. R. cum hoc filiali voto:

Optans Vt Caplat sVI praesVLI InsVLa seDeM,

TVta qVies Ibi sIt, DVLCE MeL, osqVe sonet.

Baptisterium stanneum initio sec. XVII. confectum refert idiomate bohémico 15. ot 16. vers. 16. cap. evang. S. Marci. Supra petram prope ecclesiam loco lignae exstructa lapidea turris campanaria ao. 1767. ab abbate Bernardo Slavik habet chronographum: EXaeDIFICatio CaMpanILLis fInIta. Campana maior (3' 4¹/₂" diamet., pond. circa 14 cent.) fusa est ao. 1605. in honorem Dei, sumptibus civium Stěchovicensium et Darlensium per Daniele Tapienum abbate tunc regnante Ioanne Chrys. Kladrubský et parcho Iacobo Czigl. Minor (diamet. 3' 3" ast gravior) cum inscriptione bohémica facta est ao. Domini 1489 in honorem Dei et S. Chilianii a magistro Hanuss Konwarz Pragae.

Domus parochialis antea in ipsa insula prope ripam et ecclesiam super fundamenta molae monasterii aedificata est ab abbate Bernardo Slavik (1742—1768.), in domo, quam decanalem vocant (sec. titulum claustralem plebanorum) schola collocata erat ibidem usque ad a. 1816., annum nempe translationis eiusdem Davlam. Pam. arch. IV. 116.

¹⁾ Gelasium Dobner (in annal. Hajekii IV. 272—3, V. 7—8) sequor, qui arbitratur: Hos quinque fratres omnino cum S. Adalberto Roma venisse, eos Břevnoviensis coenobii plantulas fuisse, sed amore vitae eremiticae Břevnovium (Piter in thes. abs. 169) postea deseruisse, atque cum eo tempore maxime floruerit S. Romualdus anachoretarum pater, sese eidem sociasse, atque ex his duos primum, dein reliquos ad instantiam Boleslai (Polonici) et Ottonis III. a S. Romualdo missos fuisse. Ibi denique evenire demum potuit, ut etiam Gaudentium, S. Adalberti fratrem, inviserint, uti narrat

Do historiae extractum positum ante specificationem possessionum monast. S. Ioannis sub Rupe datam ad Capitul. Metropolitanum a. 1730. in causa percipiendae portionis ex cassa salis: Anno ab incarnatione Domini 978 pientissimus antistes D. Adalbertus Roma redux, magnumque in Boëmia cleri defectum conspiciens, plurimos literas doctos ad ecclesiasticam assumpsit hierarchiam. Conspexit eo tempore neopromotus clerus innocentiam et miram in virtutibus ac moribus conversationem sex fratrum individuorum comitum S. Adalberti ita: ut eorum conversationi adnumerari, sacroque ordini D. Benedicti adscribi aspiraverit. Solatio erat S. antistiti Adalberto divina vocatio devoti cleri, unice sollicitus venerabilis Pater de loco et aedificio, quo has novas benedictinas plantulas insereret et induceret. Qua de causa confidenter adiit Boëmiae ducem Boleslaum, de loco assignando et aedificio exstruendo enixe rogans. Eius laudatissimis precibus devotissimus princeps eo promptius suffragaturum se promisit, quo magis honorem et cultum divinum promovere zelavit. Mox itaque nocte subsequenti tam duci quam S. Adalberto in somnis divinitus quaedam insula cis fluvium Moldavam tertio supra urbem Pragensem miliario pro domo religiosa exstruenda monstrata est; quo dux Boleslaus anno subsequenti 27 clericos a S. Adalberto sacris initiatos sacroque benedictino habitu donatos induxit, et numero praefatorum clericorum unum nomine Bohumilum in abbatem praefecit, et perplurimos adiacentes fundos eidem noviter erecto coenobio contulit, Deoque et B. V. Mariae et S. Ioanni praecursori Domini dicavit. ¹⁾

Pulkava (chronic. Boh. cap. 26.) — Eronee annus fundationis monast. Ostroviensis ponitur 980. (sec. Boleluczky Rosa Boëmica pag. 288) ut e nota praeced. patet. Ditmarus epis. Pragensis mortuus est 982. 2. Ian., S. Adalbertus 997. 23. April in Borussia gloriosus martyr occubuit.

¹⁾ Totus extractus invenitur in Piter thes. absc. 148. Innititur narrationi Hajekii ad a. 978., quem secuti sunt Balbinus in historia

Habuit successu temporis ¹⁾ monasterium istud etiam alia tria filialia, nec non et praeposituras et quidem:

1. Wilissense ad Raconicum et Zebracam inter silvas amplissimas, quod a. 1003. a Iaromiro principe ceu duce Boëmiae fundatum est in honorem S. Ioannis Bapt. eo loco, quo in venatione a Weršovicensibus regni proceribus duce Cochano arbori alligatus et sagittis confodiendus ope praecursoris Domini Baptistae mire protectus est, et in vivis servatus. Truncus arboris

S. Montis auct. I. cap. 9. et alii. Praeludente Ziegelbauer (Epitome historica Břevnoviensis 232). Piter I. c. demonstravit Hajekium in chronologia et nomine primi abbatis Ostroviensis errasse.

- ¹⁾ Labente sec. XIII. plures immutationes quoad bona monasterii occurrunt, sic remotiores villae et praedia vel vendita vel pro vicinioribus commutata sunt. Cum hoc studio meliorandi proventus pari passu incedit numerus fratrum, qui replent cellas acquisitas. Melius providetur nonnullis eorum, quae deinde praepositurae evadunt. Brevissimum extractum e bulla Clementis pp. V. dd. 13. Decembr. 1310. Avinionae (Reg. II. 971), ex quo dicta elucet, pono. Papa recipit monasterium S. Ioannis Bapt. in Insula in protectionem sedis apostolicae; confirmat eidem de Domazlicz opido Thust vulgariter nuncupato, de Scripel, de Bielicz, de Phrimburch et de Drahun silva capellas, redditus, iura decimas, Luben (Libeň), Ocruel (Okruhel), Cahorsam (Zahofany), Brsecowi (Březová), Olsek (Olešek), Petrow, Szazawa, Pikowici (Pikovice), Hradische (Hradiště - ištsko), Rsen (Řen) curia, Trsebsin (Třeb[p]sín), Kirneni (Křňany), Hostiradicz naulum, Schacowicz (Čakovice), Mascowiczi (Maskovice), Wseticih (Všetice), Husticih (Ústice), Sobiesowicich (Soběšovice), Nescedicich (Neštědice), Čaieci (Zaječí), Blaslim (Blažim), Nahorubi (y), Bielici (Bělíce), Oletz (Kelec), Nebrsuch (Nebřichy), Lončki (villa ignota), Trsebenicz (Třebenice), Schechowici (Štěchovice), Massuchin (Masečín), Bratrsinow (Bratřinov), Boianowici, Hwosnicze (Hvozdnice), Miechinicze (Měchnice), Sedlce (Sedlec ubi?) Radoniczi, Boiçches (Rozděš?), Dobrsich (Dobříč), Mieçim (Mezun, ouň), Swochiezi (Svojišice), Podole, Bogdalovicz, Haslowiç, Casin, Doberne, Sedlieç (Sedlec), Hostinu (Hostím, tín) villas cum agris etc. de Çlani, de Spelunca Scala vulgariter nuncupata, tertia Çaton, quarta Welis, quinta Nieçob cellas cum iuribus et pertinentiis suis, opidum Dewel, de submonte Petrino et de Bosicci (Bošice) curias. —

huius fertur stare intra murum maioris arae ecclesiae Welissensis. Ad hanc ecclesiam construxit idem Iaromirus monasterium, et inducendo religiosos benedictinos ex monast. Insulano illud Ostroviensis monasterii fecit filiale. ¹⁾

2. Skalense sive S. Ioannis sub Rupe, de quo infra proprio loco.

3. Tešlinense altero supra Rokycanam lapide pariter inter sylvas, quod quatuor religiosi monast. Ostroviensis cum licentia sui abbatis illuc abeuntes erexerunt a. 1083., qui a solis eleemosynis et proprio labore manuum vixerunt, construentes primum a. 1084. ecclesiam seu oratorium ligneum in honorem Dei et S. Ioannis Bapt. Anno 1200. Přemyslaus Ottogarus eidem monasterio pagum nomine Čechlice donavit. ²⁾

¹⁾ Cfr. Cosmae chronicon ad a. 999., Dalimilova chronika česká cap. 34. Ecclesiam S. Ioannis Bapt. in monte Veliz fundatam esse cir. a. 1012. demonstravit Dobner in animadversionibus ad a. 1003. et 1012. annalium Hajekii. Břetislaus dux (1037—1055.) coenobio Ostroviensi donavit capellam in Veliz cum omnibus appendiciis, in villa Černín terram ad quatuor aratra, custodes eiusdem ecclesiae in Otročiněves, quos per violentiam amissos Přemyslaus rex anno 1205. restituit. In bulla Clementis papae quarto loco cella nominatur (nota 1. pag. 121). Mox nomen praepositurae illi impertiunt. Pulkavae chronicon et registrum decimarum ecclesiasticarum anno 1384., sec. quod solvebat 28 gross. pro uno termino. Ad eam pertinebat Drahun silva (Drahoňův Újezd) in decanatu Rokycanensi, cum ecclesia et decimis cfr. bulla cit. Plebanos alias praepositos dictos invenio: Marquardum, dein Mstislaum 1358 ²⁰/₁₂ institutum, Fridericum 1363 ³⁰/₉, Ioannem 1379 ¹²/₁₁, Chvalonem, Ioannem 1383 ²⁰/₅, et Nicolaum anno 1395 ob electionem abbatis in Insula morantem. Lib. confir. Praeter praepositum plures in Veliz degisse fratres benedictinos tradit Pulkava cap. 28. vers. finem.

²⁾ Ziegelbauer, Balbín, Boleluczký, Cruger, Paprocký, Hajek. Tešlín nunquam erat monasterium sed praepositura tantum. (cfr. Dobner VI. ad a. 1184. annal. Hajekii.) In bulla Clementis papae non invenitur. Unicus praepositus Franco (Franciscus) innotescit anno 1395. electioni abbatis praesens. Lib. confir. V. Silva Tešlín et ruinae Ko-

4. Habuit etiam praeposituras duas, alteram Slanae, alteram Tustae vulgo v Domažlicích, quae per temporum iniurias periverunt. Slanae in loco, ubi praepositura fuit, nunc villa est dominicalis, ut seniores rerum memorabilium memoriam tenentes incolae Slanenses perhibent.¹⁾

stelik dictae memoriam antiquae ecclesiae S. Ioannis et praepositurae usque hodie conservant.

1) Slané (Schlan), in bulla cit. (Člani) primum occurrit ceu cella et primo ponitur loco. Erecta est praepositura (eodem loco, ubi nunc decanatus est. Dobner ad annal. Hajecii a. 750.) haec ad monast. Ostroviense spectans ad finem sec. XIII., si non prius. Ecclesia S. Gotthardi sec. XIII.—XIV. aedificata est. Zap. Pam. IV. 171. Grueber (Die Kunst des Mittelalters) substructionem turris et finitimarum partium his seculis tribuit. Anno 1782 inepte renovata est. Ab immemorabili monast. Ostroviense bona quaedam possidebat circa Slanam, innotuerunt vero sequentia e literis Zdislai (Zděnek) abbatis ab anno 1331: villa Trpiměchy ubi erant 8 lanei, Ovčáry ubi vinea cum 8 vinitoribus, fructus ad 12 sexag. annue participabat monasterium cum ecclesia Slanensi, Dolinie (Dolín) silva 5 laneos habens, tria molendina etc. Duo lanei (ut lego in copia dicti documenti ex archivo Břevnoviensi) ecclesiae Slanensi remanserunt (ubi?).

Anno 1277. VII. Cal. Iunii. Přemysl Ottocarus pro villis Lipy, Černošice et parte villae Lahovice, quas curiae suae Auloregiensi adiunxerat, monasterio Ostroviensi bona sua prope Slanam cessit, totum scil. districtum, qui fuit Hogeri de Windberg, cum villis: Jemníky, Pchery partem, totam villam Ovny (Humny) et silvam Ovny, Libošim duas villas, Vinař(i)ce et Žehrovice cum omnibus ad eas pertinentibus (cfr. Reg. II. 1183). Hanc commutationem confirmavit Ioannes rex anno 1313. 7. idus Augusti. Idem anno 1325, 7. idus Maii restituit monasterio montem Ovny cum silvis Vinařice adiacentibus. Tandem in literis sec. XIV et XV. Slanae praepositura et praepositi apparent. Dominico defuncto successit Theodoricus 1357 ³¹/₃, qui usque ad a. 1396. munere suo praepositi et plebani fungebatur. Bohuslaus abbas, Martinus prior totusque conventus monasterii S. Ioannis Bapt. in Insula et Theodoricus praepositus ecclesiae in Slana eiusdem ordinis S. B. fatetur, quod domicella Catharina nata Michconis sibi numeravit 50 sexag., gross. Prag. ad exsolvendos fundos emptos in villa Tuklek pro hospitali Slanensi, ea tamen conditione ut praepositus Slanensis

Passa sunt autem haec monasteria ruinas sequentes, ita ut solum Skalense existat:

1. Ostroviense ceu mater horum primam ruinam passum est a. 1278. post infelicem victoriam Rudolphi

teneatur eidem Catharinae singulis annis 4 sexag. dare. Dat. Pragae 1359. 26. Iulii. (Dipl. Mansionar. in Dob. mon. III. 372.) Tempore eiusdem praepositi combusta est Slana anno 1371. die forensi et ultra 2000 hominum interierunt. (Benessii de Weitmill chron.) Chron. boh. idem refect ad a. 1373. die S. Pancratii. Script. rer. boh. II. 452. Tertius notus (e lib. confirm. et erection.) praepositus est Ulricus, ab anno 1396 ²⁰/₆, vir alacer animo, de splendore cultus divini optime meritus. Cum hoc facta est permutatio bonorum monasterii in Insula 3. Sept. 1400. (Lib. erect. VI. L. 4. 109). Licentia a Wenceslao rege concessa constituit anno 1415. 14. Febr., ut quotidie mane, sicut hactenus a pluribus temporibus consueverant missam de B. Virgine canant duo ministri seu capellani perpetui et tres clerici; instituit, ut praeter sex vicarios et capellanos apud ecclesiam in Slana teneri consuetos, duo presbyteri religiosi monast. in Insula professi (si tamen possint, alias presbyteri saeculares) alantur ad hanc missam etiam decantandam. Donavit igitur 20 sexag. census et vineam pro ecclesia in Slana, alias praepositura nuncupata. De vinea autem praescripta, quam emit Dom. Ulricus singulis annis D. praepositus seu plebanus Slanensis unum vas vini mittet ad monasterium Insulanum. Haec omnia approbat Sbinco archiepis. Pragensis 1. Martii 1410. (Lib. erect. IX. G. 4.) Cum autem solvendo non esset, accepit mutuos ab Alberto abbate et conventu 23. Ian. 1406. (Lib. erect. XIII. O. 5). Expulsionem fratrum anno 1419. e Slana, praevaluerat enim ibi hussitismus, anno 1425 17. Aprilis secuta est civitatis expugnatio et destructio per Taborienses et Orfanos. (Chron. Bartonii in Dob. mon. I. 148. Script. Rer. boh. III. 65). — Hoc tempore Ostrovienses villas seq. in districtu Slanensi possidebant (ex urbario Ostrov. anno 1388): Libošin cum molendino solvens annue 11 sexag. 50 gr., Pchery 14 sexag. 54 gr., Ovny cum taberna 19 sexag. 33 gr. Vinařice cum duobus molendinis solvens 20 sexag. 1¹/₂ gr. Jemniky cum mola 22 sexag. 54 gr. Exorto bello hussitico rapiebant bona monasterii, qui poterant; de villa Libošin rex Sigismundus disposuit tradens eam anno 1420 ²¹/₁₂ Ioanni de Byseň cum omni iure pro servitio exhibito (Palacký, Archiv český I. 497). Conventionem anno 1509. initam cum Ignatio de Martinic vide in Cap. III. Anno 1514. idem Ignatius Bořita et fratres de Martinic

imperatoris de Přemyslao Boëmiæ rege. Tunc enim quaedam copiae, inscio imperatore, Boëmiam ingressae hanc valde, praecipue quoad monasteria, devastarunt,

literis maiest. Wladislai II. obtinere et villam Libošin cum molis in anteriori et inferiori civitate Slanensi (Pam. arch. I. 360). Quum Ferdinandus I. promissam anno 1537 relutionis summam non solveret, nominatae villae omnes a dominis de Martinic tenebantur, nec unquam restituae sunt.

Hebdomodam decimam telonei et capellam b. Iacobi apostoli Tustae contulit Břetislaus I. monasterio Ostroviensi medio sec. XI., capellam Ottocarus rex anno 1205. restituit coenobio (vide confirmationem dicti regis nota I. pg. 115). Nepos eius Ottocarus II. 25. Iunii 1265. ecclesiam B. V. Mariae ibidem addidit; hasce ecclesias cum decimis confirmavit monasterio Clemens P. V. (bulla cit. nota I pg. 120.) Abbates cum conventu ius patronatus exercebant, ut patet ex lib. confirm. 1362 $\frac{3}{11}$, 1376 $\frac{14}{6}$, 1388 $\frac{4}{11}$. Anno autem 1383. die S. Wenceslai (lib. erect. XII. F. 4) protestatio iuris patronatus in Tusta ad ecclesiam S. Iacobi ad monast. in Insula pertinentis facta est a Ioanne abbate O. S. B.; fuit enim de consensu Wenceslai regis ad ecclesiam S. Iacobi plebanus institutus. Inveniuntur quoque literae Mstislai abbatis (lib. erect. XII. A. 10 pag. 226) dto. 17. Decbr. 1385 et quibus colligitur, rectorem ecclesiae par. in Tusta ratione incorporationis eiusdem ecclesiae dare debuisse monasterio in Insula O. S. B. 5 sexag. gross. census. Res composita est ita ut anno 1388. 4. Novb. cum consensu Wenceslai regis et conventus monasterii in Insula plebanus praesentatus fuerit. Ecclesiae S. Iacobi et B. V. Mariae ante muros civitatis sitae (cfr. lib. confir. 1376. pag. 54 et 1392. pag. 138.) damna magna passae sunt anno 1373., nam Bavari cremarunt suburbium ipsius civitatis cum 13 villis (Beness de Weitmil), dein ab anno 1401—1406 per incursiones ex parte Ruprechtii (Klem. dicti).

Tustae praeposituram ordinis S. B. fuisse, nullibi invenitur, cura animarum a saecularibus presbyteris administrabatur cum consensu monasterii. In bello hussitico Tustenses ecclesiae a monasterio Ostroviensi abalienatae sunt. Praeter praeposituram Slanensem alia erecta est in Zát on (Ottau, parochia, domin. quond. Krumlov, Krumau) in decanatu Dudlebensi (Balbin.) Circuitum silvae Zát on dictum et capellam b. Ioannis Bapt. donaverat dux Břetislaus, quae donatio saepe citata bulla Clementis papae confirmata est. Iam tunc nominantur ibi villae: Podoli (Unterhaiming), Bohdalovice (Podesdorf), Hašlovice s. Hašlice (Hoschlowitz), Cusin

inter quae et monast. Insulanum. Post trium enim dierum obsidionem huius coenobii, religiosi per aquam noctu navi conscensa aufugerunt, milites vero monaste-

(Suš, Tusch), Dobrné (Zistel). In urbario monast. Ostroviensis conscripto anno 1388 et seq. villae in Záton inveniuntur: Bohdalovice 12 rustici, molitor solventes de $8\frac{1}{2}$ laneis 9 sexag. 9 gross. annue; Dobrné 6 rustici de 6 laneis solventes 2 sexag. 12 gr.; Lužná (Lhota—Luschne) 7 rust. de plus quam 7 laneis solventes 4 sex. 40 gr.; Hašlice 17. rust. de 10 lan. (solventes) 11 sex. 47 gr.; Mezné 9 rustici (cum iudice), de 9 agris $20\frac{1}{2}$ sexag., Dobříč? 8 rust. de 7 laneis 7 sex. 40 gr. praeter labores in pratis et tempore messis Machovice 5 rust. de $6\frac{3}{4}$ lan. (solventes) 5 sex. 46 gr. praeter pullos et ova. Villa Záton omittitur, Podoli et Cusin fors antea ad manus aliorum transierant. Anno 1386. in dominica Invo-cabit (11. Martii) emit Petrus Višeň de Větřní (Wettern) a Mstislao abbate, Gregorio priore nomine totius conventus monasterii Ostroviensis partem prati infra silvam Hradišť prope Wltavam iure emphyteutico sibi et haeredibus suis, ita ut de hoc annue 8 gross. et bernam regalem solvat exactori in Záton. (Arch. civ. Krumlov.) Nullum dubium, quin praepositura Zátonensis semper a fratribus O. S. B. administrata sit. In lib. confirm. nominantur plebani alias praepositi: Ioannes, Martinus 1360 $\frac{30}{4}$ institutus, Ioannes 1360 $\frac{11}{6}$, qui subsidium porrexit foundationi anniversarii pro anima sua (vide lib. I. erect. pag. 54 ed. Borový), Nicolaus, Ioanne defuncto, institutus anno 1360 $\frac{20}{10}$; ad petitionem huius praepositi O. S. B. et Nicolai plebani Příkladensis (Priethal) Ioannes archiep. Pragensis villas Grieselpacz alias Gersolpacz et Dubová (Stubau) ad ecclesiam Zátonensem pertinentes, ecclesiae vicini Stubi Příkladensi. et villam Jistebník cum molendino ad ecclesiam Příkladensem pertinentem viciniori ecclesiae Zátonensi cum suis decimis fimalibus et cum pleno parochiali iure adscripsit. 1375. 29. Novbr. (Lib. I. erect. III. ed. Borový), Ioannes 1376 $\frac{1}{12}$, Leonardus, post cuius mortem Fridericus 1383. initio Octobris, Paulus 1373 mense Octob. omnes professi ad S. Ioannem in Insula ab abbate et conventu praesentati. Quomodo evenit, ut Wenceslaus rex anno 1380. ius patronatus Ioanni de Rosenberg contulerit, non liquet. — Ecclesia nunc gothica ab anno 1409. conservata est, qui annus iuxta scutum Rosenbergicum inter presbyterium et navim legitur. In tabulis terrae Boh. VI. G. 23 (Emler: Reliquiae tab. II. 432) conservatae sunt literae, quibus Ioannes Telec abbas, Nicolaus Morávek prior, Ioannes

rium ingressi illud 6 septimanis incoluerunt. Discedentes gratitudinis obliti et monasterium et eidem apper-

Škřecka vetus abbas, Ioannes Bětovský praepositus Zátonensis et totus conventus monasterii Ostroviensis O. S. B. testantur, se vendidisse pratum supra molam Pecka dictam situm sub silva etiam Hradišť nominata penes fluvium (sc. Vltavam) Petro Višeň de Větrni 6 sexag. gross. arg. Pragensium anno 1449 fer. V. post. Pent. (5 Iunii). Quando praepositura interierit vel dominio Krumloviensī adiuncta sit, incertum; archivum Trebonense hancce incertitudinem fors repellat. Ceterum parochia Zátonensis (Ottau) usque ad a. 1679. ius popinam concedendi habuisse fertur; item parochus usque ad a. 1849, subditos in Záton et vicinia et ius praesentationis ad ecclesiam S. Procopii in Kienberg (v. Zap. in arch. Pam. IV. 170).

Ultimo loco in bulla Clementis papae cella Nieřob = Nicov (Nitzau parochia prope Kašperské Hory, Bergreichenstein) sita in decanatu olim Wolynensī (Palacký Děj. I. 2. 379) ponitur. Fueritne titulo maiori quam parochiae ornata, ob defectum documentorum monstrare non possumus. Noti sunt solum tres plebani fratres O. S. B.: Svatoslaus, Gallus 1365 ¹⁹/₃ institutus et Ioannes 1365 ¹⁸/₁₁ e lib. confirm. Campana ibi una cum inscriptione: „Lucas, Marcus, Ioannes, Mattheus“ literis maiuscul. gothicis. — Ecclesias quoque habebat monasterium, e quibus censum percipiebat, sic Tustae duas ecclesias, de quibus supra; ecclesiam S. Ioannis in Skřípel in decanatu Podbrdensi, cum omnibus appertinentiis, curiam in villa Hlazovice (Lazovice) ubi erant 2 lanei, et quatuor homines in Čabrakov (prope Skřípel) iure haereditario et cum pleno dominio donavit Wenceslaus I. rex anno 1233 pro 100 marcis argenti, quas mutuatus est ob necessitatem urgentem ab abbate et conventu Ostroviensi. Ecclesiam cum decimis confirmavit Clemens pp. V. monasterio; penes abbatem et conventum ius patronatus erat, ut e lib. confirm. 1358 ¹⁶/₅ liquet. In possessione ecclesiae et ceterorum bonorum mansit monasterium usque ad bellum hussiticum, postea saltem ius patronatus exercebat usque 1680., quo parochia presbytero saeculari collata est. Anno 1596. Ioannes Kladrubský, abbas Ostroviensis et sub Rupe supplicavit, quatenus reciperet ecclesiam in Skřípel, quam sibi vindicavit eques Wratislaus de Mitrovic in Liteň. Commissarii a Rudolpho II. missi inveniunt anno 1614. eam pertinere ad abbatiam S. Ioannis. Anno 1628. 6. Novbr. rationem reddebant Thomas abbas et prior de bonis ecclesiae huius coram Friderico equite de Nassau in arce Skříplensī. Anno 1637 notatur, litem denuo exortam esse cum

tinentes pagos ultra 30 in cineres redegerunt. ¹⁾ Coenobium postea rursus ab Ottone abbate tunc regnante aedificatum fuit, emutuata pecunia ab Erardo supremo magistro Crucigerorum cum rubea stella. ²⁾ Altera ruina fuit sub Leandro abbate, quo tempore, videlicet 1381., monasterium ab exercitu Cleomenis Bavariae ducis exspoliatum et bonis omnibus privatum fuit. ³⁾ Tertia et iam irreparabilis ruina huius monasterii fuit anno 1420. ⁴⁾, facta per Ioannem Žižka inimicum infensissimum cleri maxime regularis, a quo etiam omnes fere religiosi Ostroviensis coenobii trucidati sunt et monasterium usque ad paucula rudera demolitum hucusque iacet. Devoluti sunt ab eo tempore fundi et possessiones huius

Wratislao de Mitrovic. Ex ecclesia corrueute translatum est anno 1738 vetus marmoreum baptisterium in novam Ostroviensem, simul tres campana e, quarum duae anno 1567. fusae tempore Placidi abbatis. Ecclesia Skřipiensis anno 1768. demolita est. (Pam. arch. X. 110.) — Quando plebaniae Bělíce in decanatu Benešoviansi et Drahoňův Újezd in decanatu Rokycanensi, modo parochiae, amissae, ignotum. Capellam in Frimburk alias Fridburg et Friedberg (parochia) in decanatu Dudlebensi confirmavit monasterio Ostroviensi Clemens papa anno 1310. Quinque annis ante 29. Maii Henricus de Rosenberg summus camerarius regni Boh. parochialem ecclesiam in Fridburg cum pleno iure patronatus et cum omnibus ad eandem spectantibus domui et ecclesiae in Plaga (Drkolany, Schlägl) contulit. Reg. II. 880. Litem exortam Ioannes IV. de Dražic episc. Pragensis componendam comisit Carolo archidiacono Bechynensi, Petro de Rosenberg, Wenceslao burggravio et Bohuslao de Malovic, qui Frimburk Plagensibus adiudicarunt anno 1313. Hanc decisionem Ioannes episcopus confirmavit anno 1317., quo etiam Ottonem abbatem Ostroviensem commovit, ut ius suum in perpetuum Plagensibus cederet. (Pröll, Geschichte des Stiftes Schlägl p. 42.)

- ¹⁾ Paprocký Diadochos, de claustris 360. Cosmae contin. ad a. 1278 viginti quatuor villas monasterio spoliatas esse adnotat.
- ²⁾ Eckhardus in Schallers Topographie VIII. 63.
- ³⁾ Ruprechtus Klem dictus (vide nota 1. p. 125 de Tusta) monasterium Ostroviense inquietare non poterat.
- ⁴⁾ Chronicon veteris collegiati Pragensis. Höfler I. 82.

diruti monasterii maxima ex parte ad manus saecularium, ipsa etiam insula per annos 237 varios habuit possessores, videlicet usque ad a. 1657., quo eam pien-tissimae memoriae Matthaeus a Bilenberg abbas S. Ioannis sub Rupe, postea archiepiscopus Pragensis, e manibus alienis vindicavit et pro filiali superstitie monasterio S. Ioannis sub Rupe recuperavit.

Qui pagi primitus et quae bona huic Ostroviensi coenobio pertinuerint, et quidem ab anno 1390. usque ad Žižkianam rabiem, 39 a notario publico iurato specificantur, qui eos ex antiquissimis registris originalibus, uno de anno 1390. altero de anno 1419. et 1420. fideliter extraxit et specificavit de nomine. Qui vero pagi etc. omnibus his quatuor Ioanneis coenobiis et praepositis pertinebant olim, facile 100 numerantur in supra nominata specificatione possessionum. Sed dum postea insula per Dom. Matthaenum a Bilenberg recuperata est, pertinebant ad illam duntaxat: Davle, Hvoznicz ¹⁾, Bojanovicz, Masečzin, Březova, Křenična et in Štěchovicz duo gasarii.

2. Monasterium Welizense anno 1421 ab eodem Žižka pessumdatum fuit usque ad aliqua rudera hodie dum visibilia et occisis religiosis bona, videlicet: Weliz, Kublov, Ostroczenoves, Trubin, Braumi, Drahy cum bino iure patronatus, piscatores in Dražovic, Kirmnie, item terra ad 4 aratra, circuitus sylvae, quae dicitur Zátón ²⁾ etc. ad manus alienas devoluta sunt, postea adunata caes. regio dominio Zbiroviensi. ³⁾ Ecclesia hodie dum exstat et penes illam rudera monasterii, quae

¹⁾ Hvozdnice.

²⁾ In circuitu Zátónensi erecta erat praepositura, ut nota I pg. 122 monstratum est. Praecedentes villae ad praeposituram Velizensem pertinebant. Dedit quidem Wenceslaus rex 1302 30. Aug. civitati suae Veronensi (Beroun) villas Trubin et Černín cum omni iure, censu et onere (Reg. II. 834); sed diploma hoc suspectum est.

³⁾ Quod pertinet modo principi Iosepho de Colloredo-Mannsfeld. —

a multis temporibus commendata fuit decanatu Žebra-
censi et ex decanatu quovis festo atque dominico die
adventabat sacerdos ad divina peragenda. Sub Iosepho II.,
qui pro distantia locorum novas parochias novosque
locales capellanos multos instituit, aedificata est a fun-
damentis penes ecclesiam Welizensem domus parochialis
anno 1787. et primus parochus constitutus est saecula-
rizatus Franciscanus ex hospitio Hořovicensi P. Hiero-
nymus Ulrich.

3. Monasterium Tešlinense eodem anno 1421 una
cum parva possessione videlicet pago Čechlice in eadem
Žižkiana persecutione succensum et in cineres redactum
est. Fundi huius monasterii nunc pertinent ad dominium
caes. reg. Miroschoviense et renta eiusdem nomine ca-
nonis ex his fundis solvit 6 ~~fl.~~ sive 7 fl. annue posses-
sori S. Ioannis sub Rupe, quemadmodum et alias idem
quantum monasterio solvebatur. ¹⁾

Solum monasterium Subrupense mansit ab incur-
sione Žižkiana intactum statque usque hodie etsi iam
post levationem in manibus saecularium et post disper-
sionem fratrum vacuum. Sed quare? an, quod in ab-
struso loco positum et inter saxa sylvasque situatum?
an quod parum habens et egenum sine spe magnae
praedae pro parte inimicorum capessendae? neutrum
quidem, quia Hussitae etiam inter montes et sylvas den-
sissimas alia coenobia ut Welizense, Teslinense invene-
runt, nec non missis praedis extirpationem cleri et mo-
nachorum per demolitionem monasteriorum quaesierunt.
Quid igitur causae, quod centena inter destructa per
Boëmiam monasteria Subrupense Praegae adeo vicinum
intactum tamen manserit? ausim tantisper monachizare
— ut hodie dicunt multi, dum sancti eorumque inter-
cessionis et protectionis efficacia commendantur — con-
iecturam meam piam adstruendo: Divus Ivanus primus

¹⁾ Crugerius in Scr. pulv. 8. Febr.

in Boëmia christianus catholicus nusquam certe in regno nostro colebatur iis temporibus, nisi ad S. Ioannem sub Rupe. Supposita autem irruptione inimicorum et monasterii ac templi demolitione in tanta solitudine, penitus omnis memoria S. Ivani perivisset et cultus. Quid si igitur hic divus causam suorum suaeque memoriae assumpsisset? Profecto vix erraverit, qui conceperit opinionem a pari: sicut S. Ioannes Bapt. Iaromirum principem a Wršoveciorem telis pallio suo protexit, sic divus Ivanus monasterium et locum quietis ossium suorum a Žižkaniorum rabie intercessione sua conservavit. Sed nunc de eo:

Cap. II. De S. Ivano et eius eremo sub Rupe.

Monasterio Subrupensi occasionem dedisse S. Ivanum, cuius s. lipsana hic asservantur, vix est qui dubitet. Inde etiam factum, quod locus tum ad S. Ioannem sub Rupe, tum ad S. Ivanum nuncupetur. Quin imo inter civilem statum Pragensem de S. Ioanne sub Rupe vix rescies, bene vero, si ubi sit, et quam procul Praga distet S. Ivanus? interrogaveris; nam passim „bei S. Ivan“ germani, boëmi vero „u sv. Ivana“ locum vocitant.

Ivanus, quod nomen latine Ioannem sonat, patre Gestimulo et Elisabetha matre, Dalmatiae et Croatiae regibus, natus est. Ab ipsa infantia non exigua dedit sanctitatis specimina; utpote ad cuius cunas angeli non semel apparuisse dicuntur. Nec mirum, quod angelica habuerit obsequia parvulus, qui eadem in itinere ad Boëmiam, ut alter Tobias a Raphaële, a suo tutelari expertus est angelo. Matura namque aetate, dum regni socius et haeres Croatiae sceptrum cum patre teneret metueretque, ne inter honores ac curas saeculi atque blandientes maxime regibus mundi illecebras pietatis christianae, quam a pueritia imbiberat, iacturam faceret, fugam est meditatus. Cum fratribus igitur ac comitatu

regio venatum exiit, et dum omnium studia mentesque in feras collimant, ille occasionem, qua fugiat, quaesivit et invenit feliciter. Elapsus igitur mutata veste regia cum mendicula iam mendicus personatus fratribus casu occurrentibus venationi intentis, nec quidquam de se simile cogitantibus, illusit. Dubius tamen qua via eundum, angelum ducem meruit, qui eum ad Boëmiam usque et silvas huiates ac specum perduxit, regnante tunc Nec-lano duce Boëmiam adhuc totam gentilem cir. a. 857, mansitque hic loci annis facile 42 quasi in centro Boë-miæ, nemini tamen nisi soli Deo notus. Aiunt aliqui Ivanum alia vicina ad fluvium Misam seu Beroukam incoluisse antra teste Balbino, atque hic solum ultimis 14 annis vixisse; sed hoc sicut nullis fulcitur argumen-tis, sic et rationi videtur adversari. Cur enim locum illum continuo non incoleret eremicola, ad quem duce angelo pervenit? et quantam incurrisset inconstantiae no-tam vir sanctus, si ob maledictionem nautarum per Be-roukam navigantium toties locum mutasset, ut vult Balbinus, qui et daemonum infestationes duobus annis forti pertulit animo? Quadraginta duos igitur annos com-morationi Divi Ivani in eremo Ioannea assigno; sed quae per hos annos fuerit eius vitae ratio? quantum mediante coelestium contemplatione et ab omni homi-num strepitu separatione in spiritu profecerit, soli Deo notum; quae vero post tot saecula totque inter tempo-rum varietates ac iniurias adhuc in specu eius visuntur, ea nunc recensere occipio ad plenam vitae ipsius noti-tiam pertexendam. Qui specum hanc Ivaneam usque hodie ingressi sunt, ut diversi erant status et diversae philosophiae, ita et diversae erant opinionis. Alii mira-bantur structuram saxi, alii eius spumose naturam; alii inventas in lapide foliorum figuras, ossa etc., alii vitam Divi Ivani adeo solitariam. Nec deerant, qui vel super narratione nedum apparitione spectrorum moderno tempore penitus emortuorum riderent. Ego, quod histo-

rici perhibent et per traditionem narratur, refero. Visuntur in hac specu et adventantibus monstrantur:

1. Ecclesia antiqua B. V. Mariae et S. Crucis, de qua paulo infra agemus.

2. Crypta pro sepultura religiosorum aedificata ao. 1712., ao. autem 1765. factis loculamentis pro singulis cadaveribus renovata. In huius cryptae ingressu monstrantur duae tibiae humanae non vulgaris magnitudinis, quae inventae sunt dum porta ad cryptam foderetur, atque duae calvariae in saxo eodem iacentes ubi reptae sunt.

3. Lapis, qui nocturnae quieti divi eremicolae inserviebat.

4. Alter lapis marmoreus, in quo tum stando tum flectendo preces fundebat, manentibus adhuc quibusdam vestigiis pedum.

5. Lapis tertius marmoreus, aliquot guttis sanguinis Divi Ivani signatus, in quo resedit, dum, a bubulcis in sylva repertus, verberatus et in capite vulneratus fuit; qui lapis postea in rei memoriam ad speluncam hanc translatus est.

6. Foramen in petra, ad quam Ivanus caput inclinasse petraque cessasse et caput a vulnere protexisse fertur, dum alia vice in specu a pastoribus quibusdam repertus vapularet.

7. Ara postliminio eo loco erecta, ubi ante obitum Divi Ivani Paulus Keicha sacerdos sacrificio missae celebrato eidem porrexit viaticum; nec non et statua moerentem repraesentans eo loco posita, quo post sumpnam Eucharistiam intra aliquot dies mortuus repertus est.

8. Denique visitur hiatus seu foramen in altitudinem duarum contignationum ascendens diametri facile 3 ulnarum, quod fertur — quae vox me liberat a suspitione assensus vel dissensus, ne cum antiquis nimis credulus et cum modernis prorsus incredulus esse videar

— fertur inquam, hiatum hunc fecisse, perfregisse aut saltem pertransiisse daemon hac occasione:

Dum S. Ivanus in tertium hic moraretur annum et a spectris infernalibus infestatus porro turbari nollet in Dei obsequio et contemplatione coelestium, exivit ex spelaeo suo alibi quietiorem locum quaesiturus; sed abeunti in monte, — ubi nunc capella S. Crucis est et in illa praeter crucifixi Domini etiam statuae S. Ioannis Bapt. et S. Ivani, hanc ipsam crucis extraditionem repraesentantes, — obvius fuit Ioannes Bapt., qui et pusillanimum consolatus est et crucem ligneam coelitus allatam dedit, sub hoc signo de daemonibus victoriam promittens atque praedicens: in hoc loco speluncae ecclesiam honori S. Crucis et B. V. Mariae aedificandam. Rediit proinde iam armatus signo crucis divus eremicola ad specum pristinum ceu palestram certaminis et ultimum adhuc resistantem sibi daemonem in forma draconis apparentem iniecta in os eius cruce supra dictum foramen perfringere sive saltem transire, ut cum modernis mitius loquar, adegit. ¹⁾ Liberatus hoc modo Ivanus ab indignis hospitibus suis porro in pace et quiete Deo servivit atque ultimis 14 annis ante mortem id beneficii a coelo obtinuit, ut cum iam senescenti sylvestria herbarum et radicum alimenta et aqua infra speluncam usque hodie scaturiens parum adderent virium, animal ferum, cerva videlicet, lactis proprii beneficio foveret quotidie.

Haec nutrix Ivani cerva etiam occasio fuit manifestationis ignoti hucusque in Boëmia Ivani. Bořivojus namque dux Boëmiae et primus, in Boëmia adhuc gentili, christianus catholicus, dum regiminis ob rabiem seditorum in religionem catholicam, quam ipse ex Moravia

1) Legenda de S. Ivano magna ex parte ex Hajekii annalibus ad a. 909 depromta est, nonnulla ex Hammerschmidt: Ioannes Baptista p. 134. et aliis.

a Svatopluko rege induxerat, pertaesus, regnum filio tradidisset, residuum vitae suae cum pia coniuge S. Ludmilla in arce Tetin habitando, Deo et saluti suae consecrare decrevit. Ex hac arce vice quadam venationis causa exivit trans fluvium Misam et cervam Ivani nutricem iaculo sauciavit. Fugit haec haerente cum iaculo usque ad scaturiginem vulneris calorem refrigeratura, insequuntur eam canes et Bořivojus equo advectus ense perfodit animal, cuius ubera more insolito lacte redundantia observat. Sequuntur servi, mirantur, et ecce!, ex antro prodit Ivanus annis gravis, procero corpore, veste promissa, vultu hispido et oratione vultui conveniente arguit principem de occisione cervae deque turbata per strepitum venationis quiete. Territi sunt primum omnes (ex) aspectu et gravi sermone et habitu; dein adiuratus per Deum vivum a principe vir Dei, se Iesu Christi servum, intemeratae V. Mariae et S. Ioannis Bapt. clientem palam professus est. Iussit postea D. Ivanus ut ex occisa cerva carnes inter pauperes, qui pro se et principe Deum exorent, distribuerentur, nec non inter cetera etiam D. Ioannis Bapt. de aedificanda hic loci ecclesia enarravit vaticinium. Petitus a principe, ut secum ad arcem Tetin diverteret, denegavit omnino, sed in crastinum, urgente Ludmilla sancta coniuge Bořivoji, Paulus sacerdos sex cum famulis pro Ivano missus, eundem asello impositum Tetin-ium devexit. Ivere obviam pii principes S. eremicolae multum itineris et deductum ad arcem convivio iam parato excipere satagunt; sed desuetus Ivanus epulis mundanis delibavit nihil, quin imo multa de coelestibus sermocinatus principes spiritualiter refecit et ad coeli amorem mire inflammavit. Quis hic exprimat affectum utriusque primi in Boëmia christiani? quis gaudium D. Ludmillae ex pio colloquio in fide confirmatae et roboratae? unum, quod gaudia haec interturbaverat, abitus fuit Ivani, quem amore suae solitudinis acceleratum voluit. Benedicens

igitur principibus nullo comitante itineri se accinxit et in sylva, ad pagum Lodnice dicunt historici, a bubulcis lapide in caput percussus, saxum, in quo vulneratus resedit, sanguine signavit. Ex vulnere posthac aegre viam carpens, a viatore quodam concessum equum, eidem multo vegetiorem remisit. Paucos post dies, uti ante abitum Tetinio principes petierat vir sanctus, adest iubente D. Ludmilla, quae in somnis diem extremum Ivano adesse didicerat, in specu Paulus Keicha sacerdos Bořivoji, qui incruentum sacrificium missae peregit, et Divo ss. porrexit eucharistiam.

Peractis Deo gratiis totius vitae suae seriem Ivanus dicto sacerdoti enarravit; unde etiam, quae supra in spelunca esse visibilia dicta sunt, innotuere et lapis sanguine divi eremicolae signatus ad speluncam delatus est. Misit etiam per Paulum sacerdotem Bořivojo duci crucis signaculum coelitus obtentum in haereditatem, atque post dies tres repertus est in loco speluncae exanimis.

Recordatus Bořivojus dictorum Ivani circa aedificandam ecclesiam, non morabatur; et ne divulgato paulo post Ivani nomine et gestis, cultus Deo vero per eum exhibitus in loco cessaret, sed auferetur magis: sepulto primum corpore S. Ivani in ipsa specu, eodem loco ecclesiam construxit in honorem S. Crucis, B. V. Mariae et S. Ioannis Bapt., eique duos sacerdotes ex Wyšehrad vocatos praefecit.

Ecclesia antiqua hodiedum existit, antiquitatem eius testante tabernaculo opere murario facto, in quo usque ad a. 1770 subin missa celebrabatur, specialiter D. Eugenius Prudík, hoc tempore abbas loci, diebus veneris incruentam ibidem offerre solebat hostiam. An autem haec ecclesia ex toto aut ex parte — quam postea Rodecus fundator amplificasset aut perfecisset ex integro — aut potius minus quoddam a Bořivojo aedificatum fuerit oratorium, nil certi habemus. Non in-

congrue tamen, ut et loci antiquitas et historia probat, ecclesiam hanc historici inter primas catholicas ecclesias Boëmiæ ponunt. Nam vix multas ecclesias aedificare potuisse censendus est Bořivojus, qui non modo ex odio fidei exulare debuerit et in Moraviam fugere, sed et multa alia impedimenta in promovenda religione christiana, a subditis suis adhuc gentilibus, fuerit passus. ¹⁾ Quod vero de his nulla exstent monumenta a coaevo aut quasi coaevo authore scripta, causa est, quod Boëmi potiori ex parte rudes et bellis potissimum distenti, vix aliquid — exteri autem historici ea praeprimis scripserint, quae bella concernebant. Neque dicas, quod Paulus Keicha sacellanus Bořivoji et S. Ludmillae atque Venceslai eorum nepotis moderator, utpote oculatus testis et auritus multa aut saltem haec scribere potuerit, quae S. Ivanus de se ipso enarravit, et paulo post eius mortem gesta sunt: nam temporibus non se adeo scribendo occupabant ut hodie; et quemadmodum vir iste ecclesiasticus, in conversatione sanctorum indubie pius, suae fideli narrationi in simplicitate christiana fidem habendam arbitratus est, sic speravit traditionem suam inter posteros inviolabiliter servandam. Et quemadmodum nos non praevidemus, quid post saeculum unum de crisi- bus modernis tam copiosis dicturi sint posteri, sic nec ille praevidit tempora futura, quibus nisi testis coaevus oculatus et insuper qualificatus loquatur, nisi gesta sanctorum et virorum insignium moribus hodiernorum delicatulorum sint adaequata atque, si gesta haec naturam multorum usque ad animalitatem demissam superare et ad omne commodum laxatis affectionibus contraria videntur, fabulis et anilibus figmentis esse annumeranda.

Lubet hic loci cultum S. Ivano usque hodie exhi-

¹⁾ Quod Bořivoj-us dux exulare debuerit, mera est inventio sec. 72. cap. chron. Dalimili cfr.: Dobrovský-s Kritische Versuche, Bořivoj-s Taufe pag. 100.

bitum intexere. Concursus cultorum speluncae et sepulchri S. Ivani semper fuit insignis, cum ipse Stránský scribat: 9. et 8. Calend. Iulias, nempe 23. et 24. Iunii, a maxima hominum multitudine partim religionis, partim — fors loci amoenitatem author heterodoxus intelligit — voluptatis ergo locum solere frequentari.¹⁾ Singularia huius loci et quae adventantes mirantur sunt: 1. Petra spumae similis serra fissibilis ac pro aedificiis construendis aliis lapidibus specificè multo levior, in qua folia expressa, moscus petrefactus et alia diversa cernuntur; frusta huius petrae adventantes pro raritate secum domum deferunt et saepe in cameris naturalibus reponuntur. 2. Aqua petrificata: in monte siquidem post crucem in summitate saxi positam hiatus est in terra ad aliquod ulnas, ac demum subterraneae cavitates fodinis similes, peramplae; in his guttae aquae continuo stillantes petrificantur ac decussae partes peregrinis petentibus pro memoria dantur, quin et pro medicamine — multi enim sumpta hac petrificata aqua in pulverem contusa remedia doloris calculi senserunt. 3. Herba quaedam oblonga et tenuis in similitudinem pilorum, quae si calentibus cineribus aut aquae bullenti imponatur, album induit colorem et a vulgo barba S. Ivani nuncupatur. Praeter complures et frequentes peregrinos per aestatem, pro festo S. Ioannis Bapt. ad 4 etiam 5 miliaria populus concurrat copiosissimus praecursorem Domini et D. Ivanum veneraturus. Tota nocte in ecclesia cantus et aliae Dei laudes personant, quia tum inferior, tum medius ambitus monasterii, tum denique casae vicinae et tuguria pro pernoctatione tanti populi non sufficiunt et a tempore immemorabili hac nocte intermedia vigiliae festi, aperta ecclesia, celebrabantur. Huius concursus populi ipse visitator ordinis abbas Margarethanus²⁾ convictus est circa

¹⁾ Republica bojema edit. 2. pag. 53.

²⁾ Břevnoviensis.

a. 1750. Dum enim de servanda clausura monastica in capitulis triennialibus abbas Ioanneus commonitus, his diebus illam servari non posse toties dixisset, quoties de ea sermo fuit, venit praeter opinionem die 23. Iunii ante vesperam dictus visitator, et dum ob populi multitudinem curru nonnisi usque ad braxatorium pertingere posset, pedester inde advenit, et prima verba eius fuerunt: Iam experior, hic loci clausuram servari non posse. Ad satagendum huic populo die 23. Iunii erant a meridie solennes vesperae, dein concio a domestico religioso sacerdote habita est; hora 7. ducta est processio ad capellam S. Crucis in pontificalibus; illuc sive infulatus hospes sive domesticus praelatus detulit brachium S. Ivani, atque ibidem sive lytaniae figurales, sive aliquid aliud decantatum est figuraliter, postea benedictio pontificalis data. Redeunte processione fuit concio altera similiter a domestico concionatore declamata. Die ipso festo hora 4. matutina fuit missa prima privata, ante maturam sic dictam missam cum assistentia, sicut et ante missam summam semper in pontificalibus decantatam, pro concione dixerunt hospites praeinvitati. Communicantium numerus ordinarie supra 4000, subin usque ad 5000 sese extendebat, qua de causa praeter domesticos et aliquod vicinos, duo PP. Franciscani ex Hajek et duo PP. Capucini Praga ex Hradschin advenientes pro sacro tribunali usque ad crepusculum pridie et ab hora 4. mane sedebant festo ipso. Defecit quidem haec frequentia cultorum cum cessatione et levatione monasterii ao. 1785. percrebescente falso rumore, quod hic fabrica caes. regia instructa sit, nec ullus adsit sacerdos, qui praeesset ecclesiae, unde non nisi 300 hoc anno fuere communicantes, sed successive devotio reviviscit et quotannis plures comparent ita ut 5. anno, videlicet 1790. iam ultra 1000 numerati sint. Praeter processiones e vicinis territoriis nominatim: Berouna, Tetinio, Carlostestina, Dobřichovicio, Třebotovio, Tachlovicio, Hoře-

licio, Auhonico, Železná nec non a S. Chiliano solenniter huc deductas, etiam civitas Pilsnensis quotannis solennem multis cum sumptibus instituebat processionem; qua tandem, ob loci distantiam et magnas expensas viarumque incommoda cessante, in rei memoriam perennem singulis annis cereus magnus 12 *℥*. cum insigni civitatis, dictae semper fidelis, D. Ioanni Bapt. et Ivano offerendus missus est die 23. Iunii, cuius testis est scriptum civitatis Pilsnensis ao. 1703. huc exaratum; ¹⁾ sed levato ao. 1785. monasterio cessavit haec cerei oblatio, etsi S. Ioannis Bapt. et Ivani cultus hic perduret.

Steterat etiam prope coemeterium novum, — nam alias coemeterium fuit in illa parte horti domicinalis, ubi nunc sunt arbores pruni, seu in dextra parte ingressus ad hortum, et quidem penes domum sub num. conscr. 23. — columna lapidea seu colossus passim Pilsnensis appellatus, ubi alte facta processio coordinabatur. Haec columna ao. 1763 eversa est et confracta per illuviem aquarum, pars una maior post levationem monasterii terrae imposita est ad distinguendam viam pedestrem a curruli prope eum locum, quo antea sita erat et habet inscriptionem sequentem: „Letha 1629 Matěg Benek Genatlowec, mėsstěnin Města Pilsně z Bozským Vmyslem tato Božj Mučenj postaviti dal.“

Altera etiam huc ducebatur processio solennis Praga ex monte Petřín seu S. Laurentii, cuius processionis votiva tabula de anno 1740 hodiedum pendet in ecclesia infra cathedram concionatoriam; sed et haec cessavit cum prohibitione processionum, quae fiunt cum pernoctatione.

Ipsa etiam Croatia indigetem suum et regem Ivanum colere non intermisit; belli namque tempore anno 1742., dum ad Pragam et circa Berounam cum rege Borussiae conflictabatur, rescientes Croatae de S. Ivani sepulchro

¹⁾ In archiv. Břevnov. literae tales de anno 1697 cum sigillo parvo alterae de ao. 1743 cum sigillo magno civitatis Pilsnensis.

turmatim, dum a rebus belli vacabant, quotidie accurrerunt, sine intermissione tum in ecclesia tum in spelunca cantantes et orantes, nummos quoque non paucos ecclesiae obtulerunt, denique in praesentia Fr. Adalberti Casanova, hoc tempore sacristae qui dum haec scribo qua senior noster vivit et rei fidem facit, ex sic dicto saxeo lectulo S. eremitae frameis etiam lapillos desecuerunt secum ad Croatiam pro pia memoria sui quondam regis deportaturi. Aiunt etiam seniores religiosi nostri, eodem tempore capellano castrensi Croatorum datam fuisse particulam ex ossibus S. Ivani et ex occasione huius, narrantibus ita in altero bello septennali Croatis, pulchram in Croatia honori D. Ioannis Bapt. et Ivani fuisse aedificatam ecclesiam. Non absimili modo Sanctum hunc venerati sunt Croatae tempore belli borussici septennalis, nec non et tertii cum Borusso belli anno 1779. et 1780. Tunc enim existentes in vicinis pagis omni die festo et dominico devotissime comparuerunt, quavis vice singuli pro possibili ecclesiae numulum, eundo per ordinem circa S. Ivani sepulchrum, obtulerunt, alii etiam circa Dobřichovicium imo Davlam et alia vicina loca commorantes, itinere etiam trium milliarium S. Patronum suum inviserunt.

Neque solum plebis et vulgi, sive boëmici sive croatici, veneratio fuit erga hunc locum et S. Ivani sepulchrum. Ut de multa corona procerum et nobilium taceam, etiam coronata capita S. Ivano honorem hic loci detulerunt. Mathias imperator post fratrem suum Rudolphum II. electus Francofurti a coronatione redux cum coniuge sua Anna anno 1612 s. reliquias D. Ivani est veneratus, qui et brachium eius, translato S. corpore ex antiqua ad novam ecclesiam, extra humum servatum argentea theca ad formam manus humanae facta inclusit. De coniuge autem eius tabella in ecclesia appensa haec habet: „Anno 1612 in die S. Annae pientissima et gloriosissima imperatrix Anna, Hungariae et Bohemiae

regina, maiorum vestigia pari pede frequentans, ex Sacro monte rediens, hic ad tumbam S. Ivani prostrata, tota in laudes Dei resoluta, praevia confessione SS. eucharistiae sacramentum magna reverentia accepit.“ — Haec pro b. Virgine et Iesulo caeruleas vestes auro pretiose textas, nec non duo reliquiaria magna pro ara B. V. Mariae obtulit et sepulchrum S. Ivani tegumento de rubro holoserico textit, superposita effigie crucifixi cum statua B. V. Mariae et S. Ioannis Ev. ex alabastro, quarum statuarum unam confractam in depositorio ecclesiae vidi. ¹⁾ Ex illo tegumento holoserico, reducto sepulchro S. Ivani in aliam formam, factae sunt casulae quatuor, sed sub levatione iisdem, quia Pragam pro venditione devectae sunt inter alia, ecclesia est destituta. Anno 1628. aderat hic Ferdinandus II. imperator, porro anno 1653. Ferdinandus III. cum imperatrice, et Leopoldus frater narum tunc copiarum dux sepulchrum S. Ivani pallio purpureo condecoravit. ²⁾ — Hermannus Roswurmus bellidux contra Turcas sub Rudolpho imperatore anno 1604 erigi fecit crucifixum marmoreum cum statu is pariter marmoreis S. Ioannis Bapt. et Ivani in monte et loco illo, ubi s. praecursor D. Ivano apparet crucem ad fugandos daemones dedit ³⁾; supra has statuas capellam aedificavit Aemilianus abbas, de quo suo loco. — Guilielmus a S. Clemente, qua orator regis

¹⁾ Balbinus in Hist. S. Montis auct. I. p. 15. et Beckovský in Po selkyně starých příběhů českých I. 138., II. 2. 77. loquuntur de altari ex alabastrite.

²⁾ Ita et Cruger in Sc. pulv. 25. Iunii.

³⁾ Balbinus auct. pag. 14., Cruger ut supra, Beckovský II. I. pag. 418. Inscriptio in lapide pavimenti: Anno Domini 1604 Nobilis et Generosus Eques Dominus Hermanus Christophorus Rusworm S. C. M. in Hungaria magister equitum et Consiliarus Bellicus in Dei clementissimi et SS. eius Ioannis Baptistae et Ivani Honorem et Gratiarum actionem hanc aram et imaginem erigi curavit, pro cuius salute Pii omnes sacrum hunc locum visitantes Deum precare dignentur.

Hispaniarum ad Rudolphum II. missus et rupem Ioan-
neam invisens, sepulchrum D. Ivani cratibus ferreis ad
 $2\frac{1}{2}$ ulnae altitudinem circumdari fecit. — Inde factum,
quod partim ex cooperatione monasterii et potissimum
ex munificentia insignium cultorum ac benefactorum
S. Ivani sepulchrum primo praedictis minoribus crati-
bus circumdatum et holoserica mappa tectum, alaba-
strino crucifixo ac staturis ornatum, successu temporis
autem cratibus ferreis, ut modo cernitur, quaquaversum
positis altari novo cum duplici contignatione fuerit exor-
natum addito epitaphio:

Dalmata me genuit, mihi scepra Croatia cessit,
Sylvae me occultant, sidera ad antra vocant.
Cerva parat mensam, sensi a Ioanne medelam,
Čechia me condit, numen ad astra rapit.

Addo pro coronide cultus S. Ivani vitam huius
s. militis Christi a milite seculari cataphracto et exaucto-
rato cognomine Gežek patria Volynensi metrica de-
scriptam cir. a. 1764. et ad laminam cupream applica-
bilem, in qua vita S. Ivani sculpta est.

(Sequitur carmen in manuscripto H.)

